

Σὺν Βοηθείᾳ καὶ χάριτι τῆ ὑπερόχου Θεοῦ.

DISCURSUS PNEUMATOLOGICUS
De

VITA DEI,

Quem,

Censente & approbante Amplissimâ
Facultate Philosophicâ,

In Regiâ Universitate Aboënsi,
Sub moderamine

VIRI pl. Reverendi & Excellentissimi,

DN. M. PETRI LAURBECCHII,

Poësis Professoris celeberrimi, Pro-
motoris & Præceptoris quovis honoris
& reverentiæ cultu ætatèm devene-
randi,

*Pro indispiscendis in Philos. honoribus summis,
sobrio ingenue philosophantium exa-
mini sistit*

JONAS M. NICANDER, Smol.
S R. M. Stipendiarius.

In Acroaterio Maximo ad diem 19. Nov.
Anno Salutis 1679.

A B O Æ,

Excus. apud Viduam Hanssonii.

MAGNIFICO DN. RECTORI,
Admodum Reverendis & Amplissimis
Dominis Doctoribus, Consultissimo, Expe-
rientissimo, Celeberrimis & Præclarissimis
omnium Facultatum Professoribus, Patribus
Academicis, Mecænatibus & studiorum
meorum Promotoribus summè deve-
nerandis :

UT ET

*Perquam Reverendis & Doctiss. Spectatiss.
Venerab. & Humaniss. VIRIS,*

DN. DAVIDI SCIURENIO, Pastori
in *Wohmo* meritissimo, Fautori & Benefactori ætas-
sem observando.

DN. JOHANNI HARCLERO, Pastori
in *Nykyrdin* vigilantissimo, Nutritio meo libe-
ralissimo,

DN. ISACO WIDBECCHIO, Eccle-
siarum in *Hoffmannatorp & Syreby* Pastori per-
vigili, affini meo honorando.

DN. ZACHARIÆ BOELIO, Civitatis
Neostad, Consuli æquissimo, ut de omnibus literatis,
ita præclare, de me merito.

DN. BENEDICTO JUNELLIO, in
Liunga & Hambna Sacellano perassiduo, Cons-
sanguineo meo amantissimo.

DN. JONÆ Hiller/ Illustr. Bar. *Christinae*
Zorns Concionatori Aulico, Fautori & Amico
meo in paucis dilecto.

Hanc Disputationem inauguralem,
dedico, offero & inscribo

Auth. & Resp.

Digna mihi visa est hac de vitâ Dei consideratio, in quâ ingenii vires periclitari: est n. si unquâ alia, multâ referta iucunditate, multâ utilitate, & nunquam satis laudatâ amenitate. si namq; humana mens terrenis desixa, magnam capit voluptatem, cur non mirifica censenda sit illa suavitas, quæ terrenis sordibus depurgata in vita Dei contemplandâ percipitur, quâ nec majus, nec iucundius, nec suavius in celo, solo & salo, reperitur quicquâ. est & si quæ alia altiori disquisitione dignissima, quod contineat argumentum arduum, diffusum & multis difficultatibus involutum, quod quidem à me, multis parasangis infra hujus subtilitatem posito, exquisitè tractari non potest; levi tamen brachio (utinam fausto sydere) præcipua hujus doctrina momenta attingere animus est. Te interea B. L. etiam atque etiam rogo, velis pro candore tuo equanimiter hoc meum inceptum interpretari: quam veniam libertati etiam præfari volui & debui, sic scurras & Momos non multùm verebor, qui vel ventose cujuscumque eruditionis pruritu turgent, vel caninâ morositate in aliorum scripta os linguamque laxant. sic itaque res perorata, & in nomine S. S. Triados,

Thesis 1.

Profundiores cujusq; rei evolutionem ab ipsius vocis originatione, quæ veritati viam pandere solet, proficisci, citra pulveris iactum dudum comprobatum est; ac proinde ad lucem veritati fænerandam, Vita.

Ὄνομα *Ἰεσία* excussuri, dicimus eam originem ducere à motu, inde imposito nomine, quòd quædam res visæ sint seipsas movere, loquitur Armand de bell. vis: Etiam gentes coluère *Altra* propter celerrimum eorundem motum; qualis motus est intrinsecus, per se, purè naturalis & nobilior, ut discernatur ab extrinseco, violento, ignobili & per accidens sic dicto; unde specialim ijs rebus vindicatus est, quæ intrinsecum habent actionum suarum principium, specialiori tamen & nobiliori modo homini intellectu prædito, qua in omni re naturali non datur nobilior actus. Deo a. quando adscribitur motus, fit hoc non *Φυσικῶς* & *ἀκρεβῶς*, sed *ἀνθρώπινα* *ἰσθῶς* loquendo *Ἰεσπρεπῶς* tamen intelligendo.

Thesis 2.

2. *Πολυσημίαν*. Sumitur nunc a. physicè, vel pro unione animæ cum corpore, vel pro animâ vivente; vel pro facultate animæ vitaliter operandi, atq; sic alia est vita vegetativa, alia sensitiva, à qua dependet loco motiva,

tiva, alia rationalis, nunc β . Pneumaticè, vel in sensu indeterminato, pro affectione spiritus, quâ is ab intrinseco vitaliter operativus denominatur, quoad actus suæ naturæ convenientes, non quidem effectivè istos à se eliciendo, sed negativè omnia per semetipsum præstando, quæ ad perfectionem vitalem requiruntur; vel determinato, speciali & restrictiori, pro actu ab essentiâ Dei fluente, quo illa actuosam se semper demonstrat, adeoq; agendi & operandi vim alijs communicare intelligitur; quæ nostræ est confid-

3. *ἰσοδυναμίαν*. In S. Scripturâ exprimitur vita Dei, Negativè per immortalitatem, ut Rom. 1. 23. 1. Tim. 1. 17. cap. 6. 16. Positivè, vel actum ab essentiâ Dei dimanantem immanentemque, prout sibi ipsi Deus intimè præsens est, vel prout ad extra se exerit, ipsam Divinam omnipræsentiam denotat. Quæritura.

Quæstione 1. An detur in Deo vita?

Hâc quidem, contenti S. Scripturæ effatis omni exceptione majoribus, vide loca Deut. 5. 1. Reg. 17. Esai. 35. Heb. 9. Apoc. 5. & 10. supersederemus, nisi Philosophica tractantibus, philosophicas rationes affirmativam adstruentes, cum & illæ prostant, incumberet afferre. Argumentum itaq; primum arcessimus ab ipsâ immaterialitate, sic

inferentes: Quicquid est immateriale, hoc est, spirituale, illud est vitale. Deus est talis, E. si n. vita enti corporeo & materiali, operationes suas, non sine organis corporeis exercenti, competit, utiq; multò magis enti immateriali; quod hoc in se & à se ipso operatur actusq; suos sine organis corporeis exercere potest. Hinc fluit & alterum: Quicquid est independens & causa rerum omnium prima, obtinetq; inter substantias perfectissimum gradum viventium, illud omninò gaudet vitâ: Deum esse talem, & quidem independentem, causamq; rerum omnium primam, ita ὀφθαλμοφανῶς constare autumo, ut, qui negat, non verbis, sed verberibus & horrendis cruciatibus ad veritatem sit adigendus. Posterius membrum hoc argumento confirmo: Perfectiones simpliciter simplices necessariò sunt in illo ente, quod summo gradu perfectionis est; vita Dei talis est, E. Hæc partim per se clara sunt, partim ex infra dicendis clariori veritatis iubare constabunt.

Q. 2. Quomodo Deo conveniat vita?

Nos hic ἀρνητικῶς illorum sententiam improbamus, qui veli. tribuerunt Deo vitam tanquam dispositionem essentiæ Divinæ superadditam; nam sic Deus compositus esset

set ex essentiâ & accidente, quod simplicitatem ejus evertit; vel 2. vitam in Deo. non ut positivum, sed significativum quid posuere, v. g. Deus vivens, quòd omnibus viventibus vitam communicet, quia hâc ratione prædicarentur de Deo quæcunq; ejus causata. v. g. Deuse est lapis &c. vel 3. vitam Deo attribuere, non quod reverâ in eo sit, sed per similitudinem, quòd ita gubernat, moderatur, ac admirabili ordine omnia disponit, ac si homo aliquis maximè vivens & intelligens. Sed hæc sententia facit Deum tantum, Metaphoricum, itaq; eam nominasse est refutasse.

Θετικῶς itaq;, dicimus convenire Deo vitam 1. formalitèr, non quidem subjectivè secundum eandem rationem, quâ in creaturis est; in his n. est accidens, in Deo minimè, sed ratione convenientiæ conceptus formalis, secundum quam, salvâ interim proprietatis istius in Deo & creaturis diversitate, Deo & creaturis attribuitur. Quia eminentissimo gradu reverâ in se continet ea, quæ sunt vitæ perfectissimæ. Perfectissimo modo à se ipso, non v. ab alio movetur & operatur, ergo etiam formalitèr vivit, ita ut motus, qui hic vitam Dei denotat, nobis non sit physicus, sed (ut ita loquar) intentionalis, isq; perfectissimus, ac operatio immanens perfectissima, non quidem ut à no-

bis concipitur per modum essentialis efficien-
tiæ ac dimanationis, sed ut est in Deo per
modum actualissimæ perfectionis. Quod ut
adhuc manifestius evadat, repetimus idem
argumentum, cujus mentionem prius inieci-
mus: O. perfectio simpliciter simplex inest
Deo formaliter; vitalis est, E. major ita
ostenditur. O. substantia simpliciter sim-
plex in se habet formaliter perfectiones sim-
pliciter simplices; Deus est talis, E. Quia im-
plicat contradictionem, esse substantiam sim-
pliciter simplicem, & tamen non habere
perfectiones simpliciter simplices. Minor
probat, quia Deus non est compositus &
dependens, nihilq; in Deo, quod non sit i-
pse Deus, unde etiam actualissime per suam
substantiam vivit; nam quod in creatis est
vita in actu primo, præisum ab imperfecti-
one, constituit Dei vitam, ut sit substantia-
lis; quod v. eam in creatis constituit in actu
secundo, separatum ab imperfectione, dicit
perfectissimam actualitatem vitæ Divinæ:
quæ duo simplicissimè & unitissimè con-
junguntur in vitâ Dei, sine omni imperfecti-
one. Dicendum igitur, vitam Dei esse excel-
lentissimam atq; in supremo gradu perfecti-
onis omnium viventium, quia suâ naturâ
est ipsum ejus intelligere, & id quod natu-
raliter habet, non determinatur ab alio.

II, Per-

II. Perfectissimo modo. Quia est actus vitæ purissimus nulli obnoxius imperfectio- ni, ita ut primus & secundus actus in Deo, tanquam in creatis, nullo modo realiter sint distincti, sed simplicissimè idem cum actu primo secundus, qui nequit interire, nisi Deum morti obnoxium adeoq; non Deum statuas; & nisi Deus perfectissimo modo viveret, alijs non posset impertire vitam, secundum illud; causa non potest largiri quod non habet; cumq; Deus essentialiter sit vita, adeoq; independenter, quia aliàs esset imperfectus constans potentialitate & compositione, essentialè quoq; ut sic, sit perfectius non essentiali, non potest non perfectissimo vivere modo, & quidem ea vitâ, quæ à creaturarû illa (quod diligenter est observandum) toto cælo distat. purificandus itaq; est terminus vitæ ab omni imperfectioe, quando Deo attribuitur, nec æstimandus ex qualitatibus in hoc vel illo materiali ei competētibus: sic namq; dicit beatus Thuronius in Metaphys. suâ pag. m. 62. Quod est de materiali rei, in formale ejusdem non est inferendum; nam in omni conceptu considerandum est, quid de formali importat, nec de termino judicandum, quatenus in hâc vel illâ specie reperitur, sed ex eo, quod in modo abstractionis infert. aliud n. est rei abstracta quiddi-

tas, aliud specialis in certo subiecto conditio & qualitas, neq; vel ista ex hâc æstimanda, vel hæc in istam inferenda. consul. Calov. & From.

III. Vitam intellectualem: æ. quoniam hâc nulla est nobilior, & inter hanc & non intellectualem seu irrationalem nulla mediat. hic a. nobis non leve facessunt negotium intelligentiæ, quæ vitam intellectualem sibi quodammodo videntur vendicare. ad hoc dicimus, intelligentias non contingere supremum gradum immaterialitatis, ideoq; vitam intellectualem æqualiter cum Deo non agere. verum equidem est, eas differre ab animâ rationali, non n. informant materiam, nec ad eam informandam suâ naturâ ordinantur, nec requirunt dispositiones materiæ ad exercitium suarum operationum; attamen aliquid materialitatis habent, quatenus sc. materia in quâ seu subiectum sunt multorum accidentium, limitantur quoq; determinato ubi, cæperunt esse & annihilari possunt. Deus a. est actus purissimus & simplicissimus, in quem talia non cadunt, ergo solus vitam intellectualem eminentissimo modo vivit. idem multo magis concludendum de cæteris viventium gradibus, magnam imperfectionem, quam cum materiâ habent, imbibentibus, quod nullo modo in Deum cadere possint, inde

independentem, nullius indigentem, im-
mensum, totum ubiq; summam virtutem &
activitatem habentem. Etenim rerum cor-
porearum vita consistit 1. vel in unione animæ
cum corpore, puta non *παρασπικῆ* ἀλλὰ
παραχωριστικῆ seu in humidi & calidi pro-
portione; atq; indè vitam tamdiu perennare
inquit b. Sperlingius, quamdiu calor natu-
ralis perduret, seu iusta utriusq; pugnantis
qualitatis permistio; & quia calor naturalis
fugacissimæ simul & edacissimæ sit naturæ,
semper eum partem humidi radicalis absume-
re, donec & hoc exsicceetur, & ille soffocetur
& simul eum eo vita. Scilicet (ut modò di-
ctum) agit calidum in humidum, illudq; ab-
sumit & exsiccat, inde deficiente tandem hu-
mido, Calorem quoq; extingui necesse est.
ut n. oleum, si sit impurum & minùs limpi-
dum, tandem de pasto nutrimento, & reli-
ctâ massâ crassiori atq; inutili, ignem reddit
extinctum, ita radicale humidum, calidum
innatum it deperditum; loquor *κατὰ φύσιν*.
ex hoc dispalescit, talem vitam Deo non com-
petere, qui summè spiritualis. Vel 2. in a-
ctuum vitalium per veram causalitatem & a-
ctionem processione: ut, intellectio hominis
ad hominem comparatur, ut ad efficientem
causam proprè sic dictam. nec hæc in Deum
cadit; actus n. vitales Dei, ut intellectio &

volitio, habent ibi realem identitatem ad essentiam Divinam, nec possunt ab aliqua efficiente causâ dependere. β . Probari potest idem ex effectibus Divinis, consideratis vel in se & naturâ sua, quomodo à Deo productas substantias intellectuales videmus, quæ cum tantæ sint perfectionis ut intelligât, sequitur eam perfectionem præexistisse in causa vel formaliter vel eminenter; sed non tantùm eminenter, sic n. audire dicitur, cum nullas habeat aures, verùm etiam, cum sit perfectio simpliciter, formaliter, ut suprâ dictum. γ . considerando effectus Divinos in ordine ad pulchritudinem & exquisitissimum ordinem, qui in illis perspicitur, à Deo præconceptus, directus & sapientissime ordinatus.

Q. 3. Quomodo vita Dei distinguitur ab essentiâ Dei & cæteris attributis?

Respondemus, ratione non ratiocinante, sed ratione ratiocinata, vita quippe Dei est conceptus Dei, secundum se quidem adæquatus, in ordine tamen ad subjectum suum, cujus est attributum, inadæquatus, materialiter cum cæteris attributis ipsam essentiam Divinam involvens, formaliter a. ab ipsa differens. Intellectus quippe noster creatus & finitus, rei infinitæ in intellectione adæquari nequit, nec attributa sigillatim sumpta totam

eam essentiam Dei exhauriunt; significant n. illam inadæquatè & non absolutè secundum omnem perfectionem, sed secundum quid, & aliqualem; quos conceptus nobis formare cogimur, cum non comprehensivè, sed apprehensivè, non simul & semel eum completamur, qui lucem inhabitat inaccessam, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest. In luce n. tenui caligamus, in mediocri cæcutimus, in majori cæsi sumus, in maxima insanimus, subtilissimus exclamat Scaliger.

Thesis 3.

Hiscæ jam positis, non omnibus numeris absolutam, sed quantû pro ingenij imbecillitate, in divinis, sicut oculi vespertilionum ad lumen diei, cæcutientis possumus, suo modo perfectam damus definitionem, & quidem talem: Vita dei est ipsa essentia divina, cum omnibus actualissimis perfectionibus viventis intellectualis concepta, in sapientia formaliter consistens.

Thesis 4.

In hac descriptione, est definitum vita Dei; conceptus convenientiæ est ipsa essentia Divina, quia omnia attributa Divina implicant essentiam divinam eamque representant, diligenter itaque cavendum est inquit Sceibl: cum adæquatus conceptus divinatorum attributorum dandus est, ne solius
nega-

negationis, aut istiusmodi respectus mentio
fiat. E.g: quid est infinitas divina? non rectè
dico & adæquatè, eam esse negationem fini-
tatis, sed implicando nomē essentiæ divinæ di-
co rectè, eam esse essentiam divinam sumtam
cum negatione, vel carentiam finium. nisi e-
nim hoc modo adæquati conceptus singulo-
rum attributorum apprehendantur, non po-
test stare realis identitas divinorum attribu-
torum cum ejus essentiâ. Distinguitur hæc
ratione vita Dei 1. à vita creata, quæ crea-
turis ita inest, ut possit non inesse loquimur
potissimùm de actu 2do. 2. Ut indigetur,
nullo modo realiter distingui vitam Dei ab es-
sentiâ divina 3. ut significetur, vitam Deo non
competere per participationem.

5.
Conceptus disconventionis exprimitur
sequentibus verbis, & quidem (α) vocabulo
conceptionis, quo realissima vitæ Dei cum
essentiâ identitas ponitur, simulq; insinua-
tur immensum illud mare essentiæ Divinæ à
nobis totum comprehendere non posse, causa
specierum intelligibilium, non totum obje-
ctum, sed partes quasi representantium.
Hanc nostram intellectus imbecillita-
tem conceptionemq; notat B. Thuro:
Met. pag. 66. cognitio rei quò fieri possit,
necessum est ut res ipsa potentia cognoscenti
ti præ-

ri præiens existat; cum a. res ipsæ intellectu ingredi nequeunt, opus est imaginibus & ideis, quibus res extra intellectum constitutæ, menti sistantur. Et hæc imagines conceptus dicuntur. conceptus verò Dei est noëma Deum intellectui repræsentans; qui duplex est, objectivus & formalis. ille est ipsum objectum per intellectum conceptibile, hic est imago in mente ab intellectu agente ex phantasmate formata, Naturam Dei omnibus suis attributis communem repræsentans, ex quo cæteri partiales conceptus ab essentia Divina formaliter differens omnium attributorum Divinorum resultant. conceptus itaq; non est merum figmentum cerebri humani, sed modus, medium & via, per quam in rei cognitionem deducimur: de conceptu formali res est expedita, qui utpote qualitas mentis semper est ens reale; de objectivo locuturi, & quidem potissimum circa entia rationis versante, distinguimus inter ens rationis subjective; effective, objective consequenter & objective absolute consideratum. primo modo multa entia realia sunt in ratione five animo; secundo modo, Actiones mentis, à ratione, quæ etiam sunt entia realia, ac proinde conceptus objectivus de his verè realis est; tertio modo, licet ens rationis præter esse objectivum nihil habeat, consequitur

quitur tamen cognitionem rei, & præ-
supponit rationem quandam in re, à
quâ intellectus arripiat occasionem ta-
lem conceptum fingendi. hic conce-
ptus licet verè constituat ens rationis, ta-
men non est merum mentis ludibrium,
quarto a. modo, cum solùm sit phantasi-
as chimæra, merum figmentum & vere
nihil est. summa dictorum hæc est; vita
Dei est conceptus formalis de Deo, &
quidē cum omnibus prædicamentorum
cancellis longè sublimior sit, virtualiter
eminens.

6.

(β) *Cum actualissimis perfectionibus vi-
ventis intellectualis.* ubi τὸ actualiss: notat
1. exclusionem omnis potentialitatis à vita
Dei, 2. positionem omnis perfectionis possi-
bilis in vita dei h.e. inexplicabilem illam &
tamen indubitato verissimam permanen-
tiam Dei in perfectione sua essentiali, existen-
tem cum Deo identitate summâ simpliciter, &
sine omni mutatione. nulla namque attributa
Deo adscribi debent, quæ aliquam imperfe-
ctionem involvant, sed quæ summam per-
fectionem ponant. hoc nomine ratio huma-
na *υπερῶς* progressa est, triplicem sibi viam
in

in Dei contemplatione constitvens. Prima procedit ab effectu ad causam, sollicitè investigans rerum creaturarum productionem, conservationem & gubernationem. Secunda, quâ quicquid bonitatis & perfectionis rebus creatis inest, idem quoque causæ primæ inesse colligit, sed modo ad eò eminentiore, ut non nisi tenuissima portio saltem creaturis adhæreat. Tertia, cùm inter hanc causam primam & secundam tanta sit distantia, quanta inter finitum & infinitum, creatum & increatum, possibile non erat terminos adæquatos inveniri, quibus essentia Dei exprimeretur; ut aliquo tamen modo adumbraretur, adhibiti sunt negativi, omnem imperfectionem excludentes

Thesis 7.

(γ) *Omibus perfectionibus, simplicibus scilicet & simpliciter talibus, in conceptu suo formali nullam imperfectionem (ut jam sæpius dictum est) involventibus, hoc est, perfectionem sine imperfectione, non perfectionem cum imperfectione conjunctam.*

Thesis 8.

(δ) *Viventis Intellectualis, ut significetur Deum vivere per suum intellectum*

ctum vitam intellectualem, sicut superius
demonstratum est. Perfectiones autem
viventis intellectualis sunt inter alia,
A. Repræsentare objecta per cognitio-
nem; hoc Deus modo excellentissimo
facit, quia 1. per cognitionem suam ob-
jecta quævis intelligibilia perfectissime
repræsentat. 2. Objectum primum
& formale suæ cognitionis est. 3. Per-
fectissimus est, qui non potest non
perfectissime repræsentare quævis ob-
jecta. B. Tendere in objecta per adpe-
titum perfectum. Perfectum dicimus,
ut excludamus à tendentiâ hâc imper-
fectiones, quæ ei non adhærent essen-
tialiter & per se, in suo formali, sed
per accidens quatenus cum objectis con-
junguntur. Optimè enim concipi po-
test tendentia in objectum per adpe-
titum, non conceptâ aliquâ mutatione
physicâ, quæ huic tantummodo accidit.
Nec intelligimus per hanc tendentiam
actionem aliquam elicitam, quomodo
volendi potentia deducitur in actum
in creatis (hoc enim simplicitati divinæ
repu-

repugnaret) sed unum & simplicissimum
divinæ, voluntatis actum, quo in se
ipsum, tanquam objectum voluntatis suæ
formale, in quantum sibi summum
bonum & gaudium est, fertur. Objecta
tamen materialia voluntatis divinæ,
sicut & intellectus, sunt res creatæ,
quas non amat propter se ipsas, sed in
quantum convenientiam & unitatem
dicunt cum bonitate Dei. Nunc ve-
rò, sicut intellectuale vivens, quando
per suum appetitum fertur in id, quod
est sibi optimum, tanquam suum ulti-
mum finem, satis ostendit se vitam,
non solum habere, sed utcunque perfe-
ctam; ita & Deum viventem concipi-
mus etiam cum hâc operatione vitali,
præcisus tamen omnibus imperfectio-
nibus, quæ viventi intellectuali in acti-
onibus suis vitalibus adherere solent.

9.

(8) *Formaliter consistens in sapientiâ.* tri-
buit namq; sapientia vitam possessori suo, ut
causa formaliter constituens veram & feli-
cem, in hominibus quidem & Angelis ac-

cidentalē & supernaturalem, in Deo autem substantialē & essentialē. addita v. sunt illa verba, quia cū plurimæ sint perfectiones intellectualis viventis, quæ vix unico aliquo conceptu comprehendi possunt, & in prioribus verbis definitionis omnes illæ perfectiones simpliciter tales expressæ fuerint, placuit addere hæc verba, per quæ indigaretur præcipua quasi ratio & ipsa forma vitæ Dei, adeoq; extaret aliqua ratio, sub quâ Dei viventis essentia, vita etiam, à nobis concipi possit. Quod cum dicimus, non ita est intelligendum, quasi nullam sapientiam in Deo formaliter poneremus, sed ut ostenderemus, ex habitu sapientiæ, qui in hominibus datur, per viam negationis esse ad descendendum ad conceptum immensæ sapientiæ Divinæ. Et ut totum hunc discursum in breve compendium mittam, iterum dico Deum vivere, 1. simplicissimè, hoc est, immediatè per essentiam ipsam, non per successionem aut multiplicationem actuum vitalium, ut nos. 2. perfectissimè, Deus enim est perfectissimum ens, ideoq; perfectissimum vivens. 3. felicissimè, est enim sibi ipsi sufficientissimus, nec ullo alio extrinseco indiget, vel ut sit, vel ut benè sit. ipsa enim essentia Divina est in se actuosissimè vivens.

& sic in se continet omnia, quæ ad vitæ felicitatem requiri possunt. 4. vitâ æternâ indefectibili, negante omnem terminum, tam à parte antè, quàm à parte pòst. 5. immutabili, negante omnem motum, tam physicum, quàm Ethicum. & 6. deniq; communicabili, largiendo aliis extra se vitam, & efficaci virtute influendo in operationes illorum.

Et tantum.

Domino nostro **JESU Christo**, qui cum patre & S. Sancto, vivit vitam æternam & coævam, à cuius vitâ hanc nostram vitam corporalem ac spiritualem accepimus, trahimus, ducimus, in cujus quoq; vitâ æternam habebimus vitam, sit in totâ hâc nostrâ & futurâ vitâ, hoc est, in nunquam terminanda secula, laus, honor & gloria!

Eru.

Eruditione singulari ornatissimo

JUVENI

DN. JONÆ NICANDRO,
Philos. CANDIDATO dignissimo, hâc
vice pro gradu MAGISTERII sub-
tiliter disputanti, Amico suo
sincere dilecto:

*V*lta Dei quid sit, tua dissertatio
præsens

Subtili exponit mente NICANDER.

Ego

*Laudo conatus & tantis ausibus
opto*

*Premia Castalidum digna paranda
brevis.*

*Macte! tuas curas numen caeleste se-
cundet,*

Inq; usus Patrios dirigat ore precor.

Sinceri affectus ergo L. Mq;
sed subito scripsit

JOH. FLACHSENIUS
Acad. h. t. RECTOR.

Signor *NICANDRO*,

PER auventura qualcheduni huomini coltiuano lo Studio, ch'oue non ritrouano altri frutti, che fiori caduchi, li quali all'ultimo in altro non si risoluono, ch' in breue odore di nome, & in lieue aura di fama, da molti inuidiata, & da infiniti lacerata. Altramente io hò inteso, che V. S. di nome, vittoriosa, sente, nella Filosofia ammaestrata, ad esso sobriamente discorrendo, che sia grandemente diletteuole la Vita d'Idio eterno, e scienza più basteuole. Onde germogliano sorcelli più verdi, Onde Saranno frutti dell'anima perpetui, e il corpo sarà stato nel stato frugale e tranquillo.

Così augurando scriveua

ELIA Til: Landz

Dott: d. M. e. Prof.

IN VIRDVM

*Pereximia Eruditionis Morumque
Integritatis,*

DN. JONAM M. NICANDRUM,
Philosophiæ Candidatum Præstan-
tissimum meritissimumq̃;

Pro Magisterii honoribus publicâ discepta-
tione differentem;

Miretur nemo, NICANDRI nomine
dici

*Hunc, qui sit JONAS simplicitatis amans.
Ceu NICANDER enim Victorem se ma-
nifestat;*

*Sub titulo JONÆ sancta Columba venit.
Nempe DE VITAM docto depingere
scripto*

*Pergit inoffensus, Victor ovatoq̃, reor.
Nil etiam sancta præferre modestia Vita
Cernitur ac Mentem simplicitate piam.*

Amicissimo affectu
fecit

PRÆSES

Philosophiae Candidato Pereximio,

DN. JONÆ NICANDRO

Fautori Patri & amico jugiter colendo:

Honos virtutis ipsi habendus est, qui eidem
honoximè studet; cujus gratia virtus insio
guesq; tui in studijs profectus, honoratissime
Dn. fautor, qui cum jucunda illa amicitia
qua. primum in Schola Junecopensi mihi ce-
cum interceperat, ac postmodum *Wexionie* in-
crementa ceperat quamq; Aboënsium castali-
des ad ἀχμὴν evectam vident, excreverant;
suo condigno laudis & honoris brateo condeco-
rantur & ornantur; hinc me continere haud
possim, quin in vota & adplausus totus affun-
dar, idem facturum quod musarum alumni
tali in casu solent, ut Tibi videlicet de tanto
ac tam felici ingenio Exultabundus gratu-
ler, cujus praeclarum pro gradu Magisterij
egregie disputando de VITA DEI, speci-
men ostendis. Spondent ac promittunt Tibi
diuise, propterea brevi promeritam coronam,
varijs virtutum Gemmis adornatam contex-
tamq;, Ego qui omnia tui causa debemènter
cupio, hoc nomine Tibi mihiq; gratulor & re-
liquos tuos conatus Teq; ipsum Deo Opt. Max.
commendo. Benè & longum vale ut optat

Tibi

addictissimus

JONAS Granbeck

Junec. Saxoi.

C

In-

P. Lambecchini - F. Nicander.

Dis. 1679.

Ups. UB.

Ingenio & eruditione Multum conspicue

J U V E N I,

DN. JONÆ NICANDRO Smol.
Philosophiæ Candidato, dignissimo,
Fautori & Amico suo singulariter
honorando;

*Pro summis in Philosophia honoribus
ritè obtinendis publicè disputanti.*

δι ἀναγεγραμμένον, mut. N. in M.

JONAS MAGNI NICANDER
ES MAGNI ANIMI CANDOR

MAGNI ANIMI CANDOR splendens
æternus habetur;
Moribus & studiis, clarus & incly-
tus es
Præmia Apollo dabit, doctique boniq;
favebunt.

Perges tuos ausus prospera fata juvent!

*Animo & affectu quam verbis
prolixius gratulatur*

CHRISTIERNUS Hammar/
Wex: Smol.